

Georg Conrad Winckelmann

De Analogo Rationis In Scholis Inferioribvs Diligenter Colendo Dispvtat, simul Ad Actvm Oratorivm d. XX. Oct. MDCCL post horam octauam matutinam habendum

...

Soraviae: imprimebat Jo. Gottl. Rothius, [1750?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn873485718>

Druck Freier  Zugang





A. B.
48. 6. 91.

61.

281

Fa 1092 (61.)

- | | | | |
|--|--|----|----|
| 1. Struense de transitu a morte spirituli ad vitam etc. | 17. An maximè unquam libro sicut gaudium non habeat Doh. S. J. G. H. | 3 | 27 |
| 2. Baumgarten vindiciae vocis Oros in oracul. paulino. | 18. Hase de muliere ambiente virum. ad Ier. xxxi. | 4 | 28 |
| 3. Steck. vindiciae libertatis ecclesiae germanicae. | 19. Idem. de falsae notae prophetis. | 5 | 29 |
| 4. Struense de perfectione renatorum. | 20. Knapp de perseverantia credentium vsq. ad finem. | 6 | 30 |
| 5. Michaelis demonstratio tentamen, quod Josephus israelis filius fecit. | 21. Hase de manu super throno Sei. | 7 | 31 |
| 6. Joh. Recht Rabbi in Josephus Guegl-Übersetzung. | 22. Semler de concilio tridentino | 8 | 32 |
| 7. Hase de stilo prophetae Amosi | 23. Michaelis de variis sancti spiritus appellationibus | 9 | 33 |
| 8. Baumgarten Pax passauensis. | 24. Osiandrus de angelis in genere et in specie. | 10 | 34 |
| 9. Stiberiz de nomine Meschia. | 25. Hofmann. de singulari hebraeorum cura. | 11 | 35 |
| 10. Baumgarten de limitibus lib. etali consuetudinis etc. | 26. Winkelmann de analogo rationis in scholis inferior. | 12 | 36 |
| 11. Baumgarten de abusu locutionum anthropopathico. | 27. Rupprecht de societate litteraria rhenana. | 13 | 37 |
| 12. Semler de degeneratione monastica | 28. Leyes academiae Frid. | 14 | 38 |
| 13. Zachariae illustratio loci act. xvii. 26. | 29. Schubert de iustitia Sei. | 15 | 39 |
| 14. Ellenbergeri praelimina ad introductionem in novum. Test. | 30. Apollonius de modo effectus animi etc. | 16 | 40 |
| 15. Gambs de Zizaniis. | 31. Lambert vitia partium genitalium etc. | 17 | 41 |
| 16. Baumgart. de limitibus in concilianda rationi doctrina revelata. | 32. id. Causas incrementum corporis animalis etc. | 18 | 42 |

33. Büchner de praecipitatione chemica.
34. Nietzoi de morbi salutaris notione.
35. Segneri specimen theoriae turbinum.
36. Alberty de maiori frequentia apoplexiae in eruditis.
37. Juncker de utilitatibus dolorum.
38. Müller de cathana telluris nostrae ruina.
39. Eberhard de modis cordis.
40. Juncker de usu corticis.
41. Büchner de ventriculi sub coelo frigido.

DE
ANALOGO RATIONIS IN SCHOLIS
INFERIORIBVS DILIGENTER
COLENDO

DISPVAT,
simul

AD ACTVM
ORATORIVM

d. xx. Oct. clbcccL


post horam octavam matutinam habendum

MÆCENATES & PATRONOS
OMNIS ORDINIS ET DIGNITATIS
IN VRBE ET AGRO FINITIMO

MVSARVM NOSTRARVM FAVTORES
AMICOSQVE COLENDISSIMOS
EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITAT

GEORGIVS CONRADVS WINCKELMANN
SCHOLÆ SORANÆ CON-RECTOR.



SORAVIÆ

imprimebat Jo. Gottl. Rothius, Typogr. Aul. Promnit.

26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41

STRECKE IN
STRECKE

M. W. P. A. R. O.

SOMMER
1718

1718

27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41

Q. D. B. V.



D iu est, cum de academiis queritur res publica,
 quod litterarum causa eo transmissa iuventus,
 postea quam aliquot annos ibi defederit, bona-
 rum rerum vel omnino sterilis redeat, vel, et-
 iam si erectioris qui sunt indolis haud poenitendos in arte
 sua progressus fecerint, tamen ita exilis sit ac ieiuna hęc
 scientia, vt nullus eius in vita vsus appareat, sed dediscen-
 da fere sint, quę magno molimine didicerant, antequam
 res gerere et muneribus prudenter fungi queant. Quę
 mala, non inficianda profecto et verissima, etsi pluribus
 manare ex fontibus satis intelligant ii, quibus non ignota
 sunt academiarum vulnera: tamen dissimulandum esse
 non existimo, aliquam eius culpę partem in scholas re-
 dundare inferiores; quippe quę cum academiis tam arcto
 continentur vinculo, vt, illis afflictis, hęc saluę esse ne-
 queant. Itaque ex quo, renatis apud nos litteris, obtinuit,
 vt artes, quę ad humanitatem pertinent, scholę inferio-
 res traderent, et scientię relinquerentur superioribus, ani-
 maduersum semper est, ita floruisse academiis, vt scholę
 floruerunt reliquę; in quibus si quid forte offensum fue-
 rit, nullam facile doctorum academicorum artem, nul-
 lam industriam accepta resarcire potuisse incommoda.
 Jus igitur postulant academię, quę seuera lege profectu-
 rum, nisi rite positis fundamentis, excultoque per man-
 suetiores litteras animo accedere ad se nolunt quemquam.
 Nec vero nouum hoc est atque inauditum. Omnes enim
 A 2 con-

consentiunt, initiis opus esse quibusdam, et fundamentis
 iis, quibus excitatum reliquæ eruditionis ædificium inniti
 firmiter queat: illud potius ambigitur, quæ sint ea, de qui-
 bus loquimur, vera ac legitima fundamenta. Inueniun-
 tur, nec ii pauci, qui ad tricas scholasticas, ad verborum
 captiones tendiculasque, ad ambages denique non neces-
 sarias rati pertinere, quidquid humaniorum litterarum
 nomine complectimur, in ipsa sapientiæ adyta immitti ac
 pleno scientiarum flumine irrigari iubent quamuis imbe-
 cillia adhuc pectora. Hi eos demum recte sibi consulere
 arbitrantur, qui vel ab ineunte ætate ad interiores illas re-
 conditasque philosophiæ litteras animum appellunt, vel
 saltem eius artis, quam profesuri olim sunt, compendium
 memoriæ mandant, ac per omne illud tempus, quo pue-
 ritia ratio intra scholasticos carceres eos continet, hæc tan-
 tum sollicitè anquirunt, quæ proxime illud studium attingunt.
 Quo ex genere illud est, quod sanctiori disciplina
 se emancipaturis magnificum vulgo ducitur, pro rostris
 sacris sapius verba fecisse, cum prætextam nondum pō-
 fuerunt, cum vix ære lauantur. Qua festinatione quan-
 tum incommodorum inuectum sit, dicere est difficile: to-
 tum certe illud, quod sicut opificum vulgus artes suas, sic
 non pauci litteras ad lucrum et quæstus conferant, hinc
 trahit originem. Non multo rectius decernunt, qui has
 humanitatis litteras colendas quidem existimant, sed bre-
 uiter, sufficere rati, si primis labris hæc sacra degustent
 adolescentes, et, quod canes in Aegypto facere traditum
 est, bibant et fugiant. Quære ex his, quosnam satis amœ-
 nioribus imbutos artibus iudicent: et insignem admira-
 beris imprudentiam. Qui latinam callet linguam, inqui-
 unt, hoc est, qui aliquot millia germanicorum vocabulo-
 rum latine reddere nouit, qui minutas quasdam et frigi-
 das sententias, hexametro aut pentametro inclusas, reci-
 tare

tare potest memoriter, qui illum Asiæ domitorem, Macedonem genere, Romamque, rerum olim dominam, in Italia sitam esse didicit, et quæ sunt eiusdem generis reliqua. Eos igitur, cum quæ sit pulcra cognitio iuxta sciunt cum ignarissimis, cum illos omnis elegantia politiorisque humanitatis auctores ne a limine quidem salutarunt, cum complicatas animi sui notiones evoluere nequeunt, dignos pronunciant, qui in academiarum lucem studia sua proferant, sero dolituros scilicet, neque feliciorum rerum suarum euentum habituros. Nam cum duplex nobis sit cognoscendi facultas, quarum altera, qua confuse viuideque cognita percipimus, inferior, altera, qua distincte potissimum representata intelligimus, superior vocatur: qui litterarum studiis excultum habere cupit pectus, utramque summa vi colat necesse est. Quod quidem nulla ratione consequemur melius, quam si docendi labor inter academias scholasque ceteras ita diuisus sit, ut hæ inferiores animi facultates, quæ simul sumtæ analogon rationis constituunt, erudiendas colendasque accipiant, illæ superiores, seu rationem ipsam, distincta cognitione scientiaque sibi sumant exornandas. Nec dubium est, quin hæc lex, utilissime plerisque scholis dicta, insigni accuratioris eruditionis detrimento, aut ambitione aut casu quodam, corrupta interdum et labefactata sit. Non ego hic nec vineta ipse nostra cedere animum induxi, nec vllius usquam instituti rationem reprehendere conor; præsertim cum mihi ignotum esse non debeat, quo studio, qua accuratatione, quo euentu etiam intermortuæ prope humaniores litteræ scholarum nostrarum opera ad vitam reuocentur: sed tamen iis quoque obuiam eundem esse puto, qui falso realium, quas vocant, scientiarum amore abrepti, dum rationem excolunt, reliquas intellectus facultates situ et squalore horrere patiuntur. Quo negotio sic

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41

perfungar, vt primo de necessitate colendi in scholis inferioribus analogi rationis, ac deinde de huius culturæ indole, quod huius scriptionis angustia postulant, breuiter disferam.

Quodsi non philosophorum magis quam ipsius naturæ de cognitione humana decreta, sicut fas est, adsciscimus, mirum sane videri debet, inuentos fuisse, qui totam intelligentiam suam, quantum potest, emendaturos, hac, quam dicimus, cultura æquo animo carere posse crederent; cum fieri nequeat, vt distinctam adquiras cognitionem eius rei, cuius nondum aut claram aut confusam adquisiisti. Natura enim cum semper alias, tum vero in hoc sibi constat, vt saltum numquam faciat. Vt igitur ex nocte per auroram plena demum lux atque ipse meridies mortalibus suboritur: sic ex obscuris rerum perceptionibus, quas fundum animæ recte dixeris, non nisi per claras confusasque ad distinctas completasque adspirare datum est. Jam si quis eruditioni dat operam, hoc est, si earum, quas tractat, rerum notiones, quam fieri potest, distinctissimas habere studet, anquirere debet antea rerum tractandarum quasi siluam aliquam materiamque eam, vnde sublimior ista scientia existat, omnia in rebus singulis sibi obuia, colliget reponetque, donec firmatori rationis iudicio indigestam tradat molem, quæ fingendo multumque et demendo et addendo certam stabilemque cognitionem inde producat. Qua via autem id adsequemur, nisi sensus, quos velut satellites ac nuncios natura nobis tribuit, in subsidium adhibeamus, idque vt rite possimus cognitionem a sensibus pendentem reddamus quam emendatissimam? Nemo temere obiiciet, existere multos tum mathematicos tum philosophos, qui in distincta rerum cognitione felicissime versati, de analogo rationis colendo ne per somnum quidem cogitarint. Vt enim negari non

non

non potest, esse quosdam, qui longe infra se positum ducant, quidquid ab altioribus illis magisque reconditis literis alienum videtur: ita certum quoque est, horridam hanc et quasi inhumanam sapientiam communi generis humani consensu semper fuisse repudiatam, aut certe pulchræ vbertatis defectu non eum habuisse usum, quem sperare alioquin poterat. Et hoc in primis interest inter eos, qui illotis manibus imparatique ad grauiora studia accedunt, eosque quibus plurima iam pulcre meditata et prouisa sunt. Illis noua omnia et inaudita sunt, tuta omnia timent, rerumque insolentia, si paullum a consueto declinet via, in alium orbem delatos se putant: hi pleraque dudum ante secum ipsi peregerunt. Illi summis viribus nec sine tædio ediscere coguntur, quæ hi reminisci videntur et recordari: illi pauca rerum signa percipiunt, hi ex innumerabili copia ea tantum fastidiose legunt, quibus inter se compactis firmum doctrinæ corpus efficiant.

Secunda causâ, cur rationis analogon diligenter colendum putem, hæc est, quod, nisi per cognitionem inferiorem emendatam, distincte cognita ad usum aliquem vitæ raro transferri possint. Illi enim, quibus cum viuitur, homines magnam partem aut tam hebetes sunt animo, eorum vt mentes plena veritatis luce præstingantur; quare umbra et imaginibus opus est, quarum beneficio sensibus velut coram subiiciantur, quæ nosse ipsorum interest: aut licet ingenii acumine non destituantur, tamen pigritia partim, partim suis quibusdam occupationibus sic impediuntur sæpius, quominus omnem cogitationis vim intendant. Itaque ab eo, cui se instituendos permiserunt, quasi iure suo et ex pacto postulant, ne necessaria mathematicorum ratione concludat, nec minutis interrogatiunculis, velut punctis, quod proposuit, efficiat, sed argumentum dilatet, et orationis flore conuestiat, vt non facile tantum,

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41

tum, sed etiam cum suauitate quadam ad aures animum-
 que accidant, quæ docuit. Quæ facultas cum rarius iis in-
 esset olim, qui non modo vultu et habitu scientiam pro-
 fitebantur, sed reuera magnam cognitionem comprehen-
 derant, factum est, vt ipsa eruditio ad ludibrium recideret.
 Mirabantur enim homines, vitæ communis non ignari,
 barbaram illam linguam, quæ eruditis facta fuerat verna-
 cula, omnemque sapientiam obscuris quibusdam et hor-
 risonis nominibus contineri sibi persuadebant, neque mul-
 tum boni ab iis expectabant, quos ita siccos ieiunosque
 esse intelligebant, vt aquam ex pumice citius, quam ex
 iis elegans verbum exprimere posse viderentur. Nemo,
 nisi iniustus rerum æstimator, iureconsultis medicisque
 vertet vitio, quod suis quibusdam vocabulis formulisque
 includant distincte a se cognita. Sic enim et perspicuitati
 et, quæ hanc promouet, illustri breuitati consulunt. E-
 nim vero quod illi clientibus, de iure responsuri, immen-
 sam barbararum voeum multitudinem citent, hi ad ægro-
 torum lectos adfidentes, morbi causam exposituri, græca
 latinaque verba eaque sesquipedalia grandiloquo ore de-
 tonent, vt mirum sit, nisi æger deos quosdam inferos con-
 tra morbum suum euocari credat, quodque peregrina et
 vix ipsis fatis intellecta nomina, tanquam os aliquod gor-
 goneum, ad omnes obiectiones circumferant, non est fe-
 rendum. Quo in genere dubium non est, quin omnium
 grauisime offendant, qui sanctioribus dicati studiis, cum
 publice verba faciunt, contortulas quasdam et minutas,
 nec ad sensus permanentes conclusiunculas in concionem
 populi adferunt. Qui sunt enim illi, quos philosophorum
 disputandi morem in orationibus sacris male sequi non
 iustius queruntur viri pii quam verius, nisi qui minus per-
 pendentes, aliam esse eam, cum veritas in disputando li-
 matur, subtilitatem, aliam cum ad popularem rationem
 omnis

omnis accommodanda est oratio, quæ in acroasibus tum philosophicis tum theologicis, distincte, sicut par erat, tradita perceperunt, totidem verbis multitudini reddunt? Quorsum pertinebat profecto, quem memini aliquando, cum de Illuminatione pro concione sacra rusticis explicaret, Neutonianam de lumine theoriam, quanta quanta est, satis accurate subtiliterque tradere. Quodsi quæras, unde illud malum existat, neque tam in humanos hos putem oratores, qui de industria tenebras rebus inducant, neque tam hebetes, quin ea a se dici videant, quæ auditorum suorum intelligentiam multis partibus superent. Sed cum quotidianam quorundam loquacitatem atque inanes sine pondere cantilenas notari audiant: alterum effugiunt vitium, inutilium verborum copia aures hominum ne fatigent, nec tantarum maiestatem rerum turpiter eneruent, in alterum incurrunt, dum pulcræ cognitionis inopia, non exculcto analogo rationis, quibus lucem adfundere debebant, ea intempestiue adhibita distinctione obscurant. Laudandi igitur sunt, quod accuratorem scientiam adamant, sed vituperandi non minus, quod de eâ cognitione sibi non prospexerunt, qua, velut instrumento, opus erat ad alios sua scientia impertiendos.

Quæ hæcenus commemorata sunt, eo valent, ut inferioris cognitionis colendæ necessitas generatim pateat: sequitur, ut iam ab ineunte ætate in scholis etiam hanc curam suscipiendam esse ostendam. Sunt enim, quorum non parua adhuc fuit apud nostrates auctoritas, qui non tam ipsam illam operam, quæ in cognitionem sensuum emendandam, hoc est, in litteras humaniores impenditur, reprehendunt, sed his vitæ annis, ubi ingenii imbecillitas, nondum firmato rationis iudicio, harum rerum vix capax est, eam minus recte collocari existimant. Cum quibus haud difficulter, ut opinor, transigam. Nam

B

ficut

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41

ficut libens largior, nihil perfecti ab ea ætate expectari posse, in qua spes etiam bona magnum quiddam est et eximium: ita nec ipsi diffitebuntur, quod experientia factis confirmat, nisi qui a teneris harum amœnitatum quasi gustu imbuti sint, raro deinceps quidquam laudè dignum in iis consequi, aut ultra mediocritatem omnino adfurgere. Quippe animus simplici rerum perfectione pasci solitus, sensim ad eas pulcritudines occalescit, in quibus ab intelligendi acumine res abit ad palati tenuitatem saporemque non publicum, aut frigido iam circum præcordia sanguine obtusisque sensibus ne committit quidem, ut ex distinctarum perceptionum lucidis quietisque sedibus in umbrosa hæc viuidæ cognitionis conuallia deducatur. Calente autem adhuc adolescentia, integrisque et vegetis sensibus non altius tantum descendunt in animum feliciusque adseruantur, quæ sic percepta sunt, sed usu quoque et exercitatione insequente facilius conformantur.

Cum analogon rationis colatur, si singulæ, quæ illud constituunt, facultates emendentur, et, quantum potest, perficiantur: inprimis prouidendum erit, ne, dum quædam eius partes suscipiuntur, reliquæ deserantur. Recte et laudabiliter faciunt, qui memoriam, qui ingenium, qui facultatem fingendi gratis et profuturis occupant exercitiis: sed tamen sunt et alia non minora, quæ committendum non est, ut inculta iaceant. Qui discere vult, quoad eum, quantum profecerit, non pœniteat, sensus, phantasia, præuisiones et ceteras inferioris cognitionis facultates in potestate habeat, errores ab iis pendentes canere sciat, omniumque opera bona ac fideli, simul ac opus fuerit, vbique adiuuetur. Quam ad rem ita multæ comparatæ sunt exercitationes, ut nouis subinde adhibitis, discitentium fastidia vincere, haud sit in difficili. Quam ad rem

rem ipsa rerum natura ingentem campum aperit, et in quo vel imperitissimorum industria magna cum utilitate versari queat, si duce utatur idoneo. Noui, qui, postquam aliquot exempla discipulis præiuerant ipsi, quæstiones ponerent physicas, faciles, de rebus vnicuique obuiis atque expositis, et enumerare iuberent notas earum signaque, quæ obseruari poterant, omnia. E quibus cum diligenter legerent ea, quæ ad cognitionis elegantiam facere videbantur plurimum, nec perspicaciam, nec vberem dicendorum materiam, qua carere plerumque creditur adolescentia, his defuisse apparuit. Imaginandi autem facultas cum iisdem potest exercitiis coli egregie, ut ideam olim præ ceteris clare perceptam, quam potest, viuidissime renouare iubeas, suisque quibusdam pingere coloribus, tum vero matheseos opera maxime. Quæ quod figuris imaginibusque in tabella depictis utitur, atque ita cum distinctis sensitiuas coniungit repræsentationes, non tantum philosophia est ad discendum faciliior, sed locum quoque in schola recte constituta iure sibi vindicat. Quæ res in causa fuit præcipue, cur veterum philosophorum accuratissimi ad interiorum litterarum cognitionem, nisi geometriæ gnarum, admitterent neminem, quo a puluere et radio excitata iuuentus facilius se deinceps in ceterarum artium penetralia vindicaret. Sed hæc cognitionis sensitiuæ emendandæ remedia, quamuis optima et præstantissima, multum superat, et omnia prope vna complexa est legitima ratione instituta auctorum, græcorum inprimis et latinorum, tractatio, non exclusis tamen, qui aliarum gentium ad perfectum illorum exemplar proxime accedunt. Nam etsi ab iis, quibus in his litteris consensescere fuit volupe, veterum scriptorum nimis forsitan cumulatae laudes sint: hoc tamen ediderunt verissimum certissimumque, omnem pul-

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41

eræ cognitionis facultatem, omnia deliciarioris saporis fundamenta, omnem denique politiore humanitatem ex his elegantiarum patribus, tanquam ex iustis fontibus, esse repetendam. Quo magis doleas, superiorum temporum culpa rem eo esse deductam, ut nihil his antiquorum scriptis haberetur contentius, et, qui pedem schola vix extulerant, inter discipulorum cathedras plorare iuberent Ciceronem, Horatium, ceteros; iniuriam se dignitati suæ rati facere, si maximorum hominum monumentis euoluendis quidquam temporis porro tribuerent. Causam iniquissimi contentus si quæras, vix reperietur, opinor, qui dubitet, quin illorum doctorum laboriosa illa quidem sed profecto moleste sedula opera sensim inuectus sit, qui, cum utilitatem cognitionis communem a sollicita eius accuratatione minus diligenter seiungerent, grammaticis subtilitatibus omnia implebant, syllabarumque aucupio et criticis concertationibus, a discipulorum quidem auribus semper arcendis, ita frigidi euadebant, ut tussum et febri- culas audientibus adducerent. Itaque in quibus nobilior inesset indoles non poterant non exiguum iis libris pretium statuere, quorum nullas norant pulcritudines: ceteri autem, in magistrorum verba iurare parati, non id intuebantur, cuius causa vel in primis ad hæc linguarum studia accingimur, sed tanquam sacra esset latinitas, omnisque humana cognitio eius scientia terminaretur, sic in eam totis incumbēbant viribus, sic per omnem vitam id agebant vnice, ut verbis splendidam, rebus inanem effingerent et quasi calamistris inurerent orationem. Mitto, quod eodem tempore græcæ litteræ fastidiri cœperunt, quorum studium ita sensim refrigit, ut pauci essent, qui se ex genuinis his elegantiarum fontibus hausisse vera possent gloria prædicare. Est hæc laudum huius seculi non minima, quod rescisis superiorum temporum decre-
tis,

tis, de Græcis Romanisque auctoribus rectius existimet, qui iam non ceterorum modo sed ipsorum etiam philosophorum manibus teruntur, qui sicut se inde plurimum profecisse libere confitentur, ita ad eosdem ablegant, quotquot totam suam cognitionem perficere animum induxerunt. Quo magis necessarium puto, ut prudenti iuuenum institutione in eo elaborent omnes, ne hæc cupiditas fastidio quodam et satietate restringatur, sed nutriatur potius atque augeatur. Quod haud scio an hac via omnium facillime certissimeque consequi possimus, si grammaticis fundamentis breuiter positis, id agatur maxime, ut rerum et sententiarum, in auctoribus occurrentium, pulcritudinem et venustatem iuuenes sentiant, et sic, recto ac puriori gustu imbuti, simili modo et cogitare et cogitata proferre iubeantur. Sic enim nec mora offendet quemquam, et ipse in dicendo scribendoque processus omnes conuincet, hic scriptoribus tractandis non tam fastidiosam verborum elegantiam, quam cognitionis emendationem queri. Quæ ab ingenii imbecillitate peti possent obiectiones, per quam fieri aiunt, ut tenera ætas non ferat cogitandi laborem, eæ haud ita magnum habebunt pondus, si suo quemque modulo metiendum esse teneamus, nec eloquentiam induere paremus pueris adhuc nascentibus, sed expectemus donec maturior ætas maturos quoque effundat fructus. Quodsi auctoritatibus pugnare opus esset, magnos possum nominare viros, quibus idem placuit, sed V. Ill. Joh. Laur. a Mosheim vnus mihi est instar omnium, quem quidem his de rebus arbitrum nemo facile repudiabit, et cuius verba digna puto quæ in extremo adiiciam, Is in præf. ad Vberti Folietæ de L. lat. vsu et præstantia libros §. XII præclare: „Vell, inquit, pueri, perceptis primis linguarum rudimentis, mature adsuescerent, mentem a sensibus reuocare ac

21
28
29
30
31
32
34
35
36
37
38
39
41

„de rebus quibusvis ordine et distincte cogitare, dein-
 „de quæ animo conceperant vel impurissimis vocibus
 „chartæ tradere. Vellem qui erudiendis illis præficiun-
 „tur, rationem magis initio quam voces et dictionem for-
 „marent, ac non nisi probe exercitatos ad meliorum au-
 „ctorum lectionem admitterent. Vellem magistri longe
 „seuerius in confectarium hebes et minus acutum quam
 „in barbarissimos et solæcismos animaduernerent, discipu-
 „losque perspicue et commode animi sensa proferre doce-
 „rent. Aut nihil enim video, aut tum demum recte et
 „ornate scribere discerent, meliusque illis consultum esset
 „quam si vocabulorum et locutionum castissimarum mul-
 „ta millia memoriæ mandent, mente interea scientia va-
 „cua.„ Quod si eadem ratione in græcis versetur scri-
 „ptoribus, vt non tantum verba memoriæ mandemus, sed
 etiam quam proprie, quam eleganter, quam ad naturam
 apte omnia dicta sint spectemus: fieri non poterit, quin,
 inferiori cognitionis nostræ parte probe exulta, inoffen-
 so posimus pede ad intellectum emendandum pergere,
 distinctamque cognitionem ad vitæ vsum transferre am-
 plissimum.

Ceterum cum pro scholarum more, actu oratorio in-
 stituto, quidam ex cœtu nostro vires suas dicendo peri-
 clitari cupiant, vt ex curia, vrbe, agro finitimo Fauto-
 res Patronique musarum mansuetiorum, quibus commo-
 dum est, ad eos audiendos frequentes adesce, atque hono-
 rifica sua præsentia iuuenum ad recta tendentium conatus
 adiuuare benigne velint, ea, qua fas est, obseruantia et-
 iam atque etiam rogantur. P. P. d. xx Oct. clō lōcc L

❀❀❀ (o) ❀❀❀

CON-

CONSPECTVS EXERCITII ORATORII.

Post introitum musicum

JOHANNES SAMVEL **Bütner**, *de mesum huius anni vbertate præfatus dicturis commilitonibus auditorum beneuolentiam conciliabit versibus elegiacis.*

GEORGIUS CHRISTOPHORVS **Kothe**, *de causis, cur litterarum interitus nostro tempore non facile metuendus sit latina oratione ab ipso scripta exponet.*

JOHANNES GOTTLOB **Mager**, *de oratoris in animos hominum potentia oratione latina, cuius ipse auctor est, disferet.*

ABRAHAMVS FRIDERICVS **Starcke**, *Romanorum in educanda iuuentute sollertiam laudabit latine.*

CHRISTIANVS ABRAHAMVS **Jäne**, *de philosophia superstitionis expultrice aget germanice.*

JOHANNES GOTTLOB **Böhmel**, *naturam homini non esse novercam euincet latine.*

JOHANNES GOTTLIEB **Alberti**, *de eo, quod vere magnum est in rebus humanis dicet gallice.*

BENIAMINVS **Mücke**, *quorundam de Stoicorum secta iudicia expendet oratione germanica, quæ ipsum habet auctorem.*

BALTHASAR SIGISMVNDVS **Schönau**, *de Athenarum interitu orationem habebit græcam.*

JOHANNES CHRISTIANVS **Klauff**, *in errorum causas inquiret oratione latina, ipsius facta stilo.*

GVNTHERVVS de **Bünau**, *veterum quorundam animi magnitudinem in perferendis iniuriis celebrabit latine.*

WILHELMVS GOTTLOB **Bona**, *de sapientia gentium a vero dei cultu alienarum in stultitiam versa oratione aget germanica.*

ERDMANNVS SIGISMVNDVS **Basch**, *de animi tranquillitate ex recte factorum conscientia redundante canet germanice.*

Inter-

Interſcenium muſicum.

JOHANNES FRIDERICVS LVDOVICVS de Landwüſt,
de conſolatione philoſophica oden recitabit germanicam.

JOHANNES GOTTLIEB Böhmel, *animi conſtantiam non niſi
in chriſti ſchola diſcendam fiſtet oratione latina.*

GOTTLOB GIDEON Fabri, *ſecularem transactionis Norimber-
genſis memoriam recolet oratione germanica.*

CHRISTIANVS GOTTFRIED Kählig, *cur aduerſam fortu-
nam ſapientius ferant plerique quam ſecundam diſquiret oratio-
ne latina, ab ipſo compoſita.*

CHRISTIANVS FRIDERICVS SIGISMVNDVS Seinſius,
FRIDERICVS LVDOVICVS Goldmann, et
ANDREAS GOTTLIEB Schreber, *de præiudicio ſenſuam
colloquentur germanice.*

FRIDERICVS Wendt, *de ſeculo ætæo fabulam ad futuram piorum
felicitatem transferet carmine germanico.*

JOHANNES GOTTHELF Morgenſtern, *de iis quos vulgi
nomine inſigniuit antiquitas dicet oratione latina.*

GOTTLIEB AVGVSTVS Neumann, *de iuſto eruditioni præ-
tium ſtatuendo oratione ager germanica, ab ipſo conſcripta.*


THEODORVS FRIDERICVS Lohde, *deum rationis orationis-
que auctorem laudabit ode germanica.*

CHRISTIANVS HENRICVS Burdach, *atheorum imparem
cum DEO pugnam deſcribet carmine heroico.*


CHRISTIANVS ABRAHAMVS Petri, *dei providentiam in
dandis adimendisque regnis conſpicuam admirabitur gallice.*

JOHANNES SIGISMVNDVS Knappe, *eruditionis et picturæ
ſimilitudinem exſequetur latine.*


BENIAMINVS CONSTANTINVS Maſch, *omnia hominum
partim bona eſſe partim mala euincet et auditorum debitas ager gra-
tias latine.*











the scale towards document

& virtutes sine meo monito manebunt, donec doctri-
aestimantur. Unum tamen si reticerem, iniurius
a, qui ex illius recordatione semper voluptatem ca-
summa, qua gaudes, quamque, cum Berolini in-
tomico meus esses socius, toties hilari cum vultu per-
integritas, virtus in tantum laudanda, in quantum
ano salutaris Quod reliquum est, Triunum Nu-
x rogo, ut TE per multos annos saluum & incolu-
er, PRAXIN TVAM fortunet & TE, de quo doctrina
ae TVA haud dubitare me finit, multorum aegrorum
en. Interea maximopere TE rogatum volo, ut ami-
vorem, qui nullo modo hactenus sufflaminatus est,
um a me expectabis, quicquid ab homine TVI aman-
ectari poterit. Dabam, ad iter in patriam praecin-
Magdeburgicae die I. August. MDCCLVI.

RAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
LINO CANDIDATO
OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM
RECHT AVGVST. FRIDER. LOEPER,

BEROLIN. OPPONENS.

am totius fere Medicinae esse fundamentum, omnes
ostrae periti docuerunt, TEQUE eandem fovere sen-
do in Dissertatione praesente a TE doctissime obser-
superque confirmat. Exquisite enim, antequam
VM profectuus es, structuram organi exhibuisti,
maius sub coelo frigido demonstrare animus TIBI
uiquam id mirum erit, qui noverit, qua infatigabili
diligentia sectiones atque lectiones Celeberr. ME-
omicas frequentaveris. Hinc amicitia nostra, qua
eve saltem spatium frui mihi contigerit, tantos tamen
pi fructus, ut maximo cum dolore discessum praen-
N. Verum, quo minus in laudes TVAS excurrant
VA modestia prohibet. Interim gratulor TIBI, AMI-
ME, quod, confectis ex voto studiis academicis, sum-
alutari honores, tanquam praemia diligentiae TVAE,
Gratias TIBI ago habeoque maximas, quod me
TIBI